



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum

Heser, Georg

Monachii, 1657

Morbidus.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)

que licet sabbatis benefacere. *Matth. 12.*
v. 11. & 12.

III. Et circumspiciens eos cum ira, con-
 tristatus super cæcitate cordis eorum, dicit
 homini: Extende manum tuam. *Marc. 3.*
v. 5. Et extendit: & restituta est manus
 ejus *Luc. 6. v. 10.* sanitati sicut altera. *Matth.*
thæi 12. v. 13.

IV. Ipsi autem repleti sunt insipientiâ,
 & colloquebantur ad invicem, quidnam fa-
 cerent IESU. *Luc. 6. v. 11.*

Morbidus.

MEDITATIO CXX.

*Morbidus per 38. annos sabbato
 curatur.*

I. ERat quidam homo ibi, (*ad Probatiam*,
Episcinam) triginta & octo annos ha-
 bens in infirmitate sua. Hunc cum vidisset
 Iesus jacentem, & cognovisset, quia jam
 multum tempus haberet, dicit ei: Vis sanus
 fieri? *Ioan. 5. v. 5. & 6.*

II. Respondit ei languidus: Domine,
 hominem non habeo, ut, cum turbata fue-
 rit aqua, mittat me in piscinam: dum venio
 enim ego, alius ante me descendit. Dicit ei

IESUS : Surge , tolle grabatum tuum , & ambula. Et statim sanus factus est ille : & sustulit grabatum suum , & ambulabat. Erat autem sabbatum in die illo. *Ioan. 5. Vers. 7. 8. 9.*

III. Dicebant ergo Iudæi illi , qui sanatus fuerat : Sabbatum est , non licet tibi tollere grabatum tuum. Respondit eis : Qui me sanum fecit , ille mihi dixit : Tolle grabatum tuum , & ambula. Interrogaverunt ergo eum : Quis est ille homo , qui dixit tibi ; Tolle grabatum tuum , & ambula ? Is autem , qui sanus fuerat effectus , nesciebat , quis esset. Iesus enim declinavit à turba constituta in loco. *Ioan. 5. 6. 10. 11. 12. 13.*

IV. Postea invenit eum IESUS in templo , & dixit illi : Ecce sanus factus es ; jam noli peccare , ne deterius tibi aliquid contingat. Abijt ille homo , & nunciavit Iudæis , quia Iesus esset , qui fecit eum sanum. *Ioan. 5. 6. 14. 15.*

MEDITATIO CXXI.

Christus factum istud à calumnijs Iudæorum defendit.

PROPTEREA persequerentur Iudæi IESUM , quia hæc faciebat in sabbato. Iesus autem

tem respondit eis: Pater meus usque modo operatur, & ego operor. Propterea ergo magis quærebant eum Iudæi interficere: quia non solum solvebat sabbatum, sed & patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo. *Ioan. 5. v. 16. 17. 18.*

II. Respondit itaque Iesus, & dixit eis: Amen, amen dico vobis, non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem: quæcumque, enim ille fecerit, hæc & filius similiter facit. *Ioan. 5. Vers. 19.*

III. Pater enim diligit filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit: & majora his demonstrabit ei opera, ut vos miremini. Sicut enim Pater suscitatur mortuos, & vivificat: Sic & Filius, quos vult, vivificat. Neque enim Pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio, ut omnes honorificent filium, sicut honorificant Patrem. Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum. *Ioan. 5. v. 20. 21. 22. 23.*

IV. Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam æternam, & in iudicium non venit, sed transiet à morte ad vitam. *Ioan. 5. v. 24.*